Epistola ~~1351~~. (MEINARDUS SCHOTANUS IOHANNI COCCEJO) 95

Gratia Domini vobiscum.

Praestantissime Domine, vivo adhuc et valeo, quae Dei gratia est. De te ex aliis subinde aliquid intellexi ex iis, qui ad nos commeant. Non plane vestri sumque immemor licet non scribamque. Ingratissimi essemque hominum, si non grata vestri recordatio, memoriae nostrae inhaereret. Vellem quam maxime, re ipsa patefacere possemque. Sed quam periculum quod a nobis proficisci potest. Interim humiliter gratias ago, pro correctione, rogoque, si quid hic omissum, ipsi forte ut alio loco superfluum, pro accuratissimo et limatissimo iudicio corrigas, immutes, et me tibi in aeternum devincies, qui iam a multis retro annis te intime dilexi, colui, aestimavi. Occurrunt quaedam, quando in lectionem sacrarum concionum incido, quae ἀσκητικῶς et πρακτικῶς nimis scripta, et invicem tradita videntur, quaedam etiam quae plenius ~~commendata~~ enarrata vellem, quid agas, iacta nunc est alea, et non tantum mihi conceditur otii, ut ego iis expediendis operam navare possim. Vestra cura resarciet aliquantulum, ne nimis gravem, nostram incuriam. Nihil adhuc amplius nec audeo. Deus te dilectissimum mihi in Christo fratrem diutissime magno discentium bono sospitet et cum familia omnimoda benedictione sua beet: Amen.

Raptissime e Museo Ao 1639 3 Octob.

Tuus in Christo frater
tibi devinctissimus
Meinardus Schotanus

Viro celeberrimo, D. Joanni
Coccejo, Linguarum
Orientalium in Academia
Franekerana Professori
dignissimo, amico integerrimo

Franeker